Dissertatio inauguralis medica, de tussi infantum epidemica ... / respondens Antonius Gulielmus Plaz.

Contributors

Plaz, Anton Wilhelm, 1708-1784.
Alberti, Michael, 1682-1757.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Litteris Hendelianis, [1778]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ufu447su

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

21

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

USSI INFANTUM EPIDEMICA,

Quam,

AUSPICE DEO PROPITIO,

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

I. D. MICHAELE ALBERTI,

MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO,
ED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR.
COLLEGA, SOCIET. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, ETC.

DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS,

IMISQVE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQVE CONSVETIS,

ANNO MDCCXXVIII. D. XVIII. OCTOBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI
SUBJICIET

RESPONDENS

M. ANTONIUS GUILIELMUS PLAZ,

LIPSIENS. MISNICUS.

HALÆ MAGDEB. LITTERIS HENDELIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30791510

PROOEMIUM.

Uemadmodum post lapsum homo morbis & morti subjectus est, ita vicissim *sanum illum esse corpore & firma valetudine præditum, natura primum est homini bonum* dixit *Philiscus apud Dionem Ep. 38. p. 79.* quam ob rem *Plinius Lib. 7. nat. hist. c. 50.* eloquitur: *pro miraculo & id solitarium reperitur exemplum Xenophilum Musicum centum & quinque annis vixisse sine ullo corporis incommodo* & *Laertius lib. 8.* refert: *maximæ felicitatis celebratur Zeno, quia nonagesimo octavo ætatis anno vita excessit incolumis atque integer sine morbo;* id quod *Max. Tyrius diss. 20. p. 208. de Diogene* hisce testatur verbis: *Diogenes Sinopensis Ponticus, ita toti naturæ adsueverat, ut hoc vivendi genere & sanitatem sibi pararet & robur vitamque quam longissime extenderet; nec interim aut medicorum egeret remediis, aut ferro, aut igne, aut Chirone aut Asclepio;*

nec deſunt alia exempla, quod varii homines a teneris ſatis ſani, vegetique vixerint, quorum tamen numerus longe minor eſt, cum plurimi homines multis morboſis incommodis affligantur & quamvis nihilominus morbi ſatis infrequenter homines invadant, dum corpus noſtrum ſecundum *S. Codicem teſtaceum*, ſecundum *Prudentium caducum*, juxta *Salvianum ep. 4. terreſtre vaſculum* eſt, quod facile læſionibus ſubjicitur, ut mirum exiſtat, cur illud non indies morbis oppreſſum compareat, tamen morbi omnes ætates, ſexus, temperamenta & gentes invadunt, ut ab infantia ad ultimum vitæ terminum multiplex ægritudo homines obruat: Interea ſub hac meditatione mox ulteriori obſervationi ſe commendat, disquiſitio majoris & minoris diſpoſitionis & prærogativæ ad ægrotandum: dum inter alios Infantes præcipue & facile & frequenter variis corripiuntur morbis, qui non modo aliis ætatibus ex parte communes, ſed qui huic teneræ ætati plane proprii exiſtunt, ut propterea infantes mox poſt partum ſuam deplorent humanam calamitatem & miſeriam; Etenim mollities & teneritudo animi atque corporis, ſenſibilitas naturæ, humorum laxius cohærentium copia, variarum impuritatum congeries, aëris multipliciter variati efficax actio in tenellum corpuſculum & adhuc aliæ ſpeciales cauſæ, facilioribus & frequentioribus morboſis invaſionibus obnoxios reddunt infantes: hinc non modo ſatis ſæpe hi ægrotant, ſed & numeroſius moriuntur, ut ſecundum annuum computum

plures

plures infantes, quam alterius ætatis homines præmatura morte extinguantur: In hac consideratione merito partim insuetudo morbis resistendi, aut illos sponte subjugandi, deinde teneritudo corporis annotanda est, quod causæ nocivæ citius alterare & offendere possint, sicut alias in corpus mollius corruptio facilius intrare potest, partim etiam mollities fibrarum haud satis apta existit, quo singulis causis morbosis præparandis & expugnandis satisfaciat; hinc potius impuritates coacervari, humoribus puris & laudabilibus firmius insinuari & solidis partibus diutius & tenacius adhærere possunt solentque; unde varii morbi & fluidas & solidas infantum partes corripiunt, ut tota infantilis ætas morbis plena & onerata existat: neque quidem principalius debilitatem infantum promiscue in morbis accusare convenit; quoniam & fæminis cognitum est, quam multa illi perferre possint, ut sæpe in admirationem ducant, quando proportionem inter pusillum corpusculum & morbi gravitatem instituunt; quantum etiam robur multis infantibus in morbis familiare sit, testantur vehementissimi motus convulsivi, qui a debilitate generis nervosi derivari haud possunt, quamvis subinde negandum non sit, quod in nonnullis morbis infantes valde enervati compareant: Et licet variæ causæ, morbos provocantes, confirmantes & sustentantes in ipso infantum corpore generentur, tamen multæ & illæ etiam satis efficaces & perniciosæ ab extra communicantur, quæ totum corpu-

ſculum infantum potenter invadunt & graviter alterant: Hæc eximia proclivitas ad ægrotandum permovit *Hippocratem* ut *Sect. 3. aphor. 24. 25. 26.* morbos infantili & puerili ætati proprios clarius indicaverit, cujus veſtigia preſſerunt *Schellhamerus* & *Stahlius*, qui ſolide de morbis ætatum luſius egerunt: & quoniam morborum infantilium magnus eſt numerus hinc varii Medici, quos prædictus *Schelhamerus l. c. cap. 2. ſect. 1.* § *1.* nominat, peculiari ſtudio infantum morbos pertractarunt: Et quamvis morborum infantilium plurimorum cauſæ ſatis manifeſtæ ſint, tamen quoad therapevticam directionem ſingularem pariter merentur attentionem, quoniam communis illa difficultas & afflictio medicum angit, quod non ſemper ad nutum ordinata remedia tenellulis & valde renitentibus ſubjectis propinare poſſit, unde interea morbi ſæpe accreſcunt, ut ſerius tandem medicina paretur: quid quod communis illa morborum infantilium qualitas afflictos tenet medicos, quod aut cito ad funeſtum properent exitum, aut pertinacius continuent, motuumque ominoſas anomalias complectantur: E numero illorum morborum, qui infantibus valde familiares ſunt, perquam cognita eſt Tuſſis, quæ a tenera Infantia in pueritiæ periodos varias ob cauſas irruit & procedit, unde multam interdum opem & vigilantiam medicam requirit: & quamvis nonnulli, quibus frequentior hujus affectus invaſio cognita eſt, illum non ſemper pro periculoſo æſtiment, tamen alii contra majori metu & angore illum advertunt,

tunt, variaque funesta de eodem referunt, siquidem catarrhum suffocativum latitantem, phthisin ingruentem aliaque ominosa de illo prænunciant: ast ne in ullo extremo prudens & peritus medicus peccet, præstat utique species hujus affectus ejusque causas & origines probe discernere, eoque medicam tractationem sollicite applicare; Sed ne ampliorem laborem suscipiamus; inter alios Infantum morbos TUSSIM EPIDEMICAM brevi explicatione, hoc in Inaugurali themate & Specimine indagare & pertractare lubet: Adsit huic instituto divina gratia idque prosperis successibus secundet.

§. I.

DE *Tussi Infantum Epidemica* differentes ante omnia *nervum* & *peculiares* respectus tituli enucleare & illustrare debemus, ut eo magis *specialis* hæc observatio inclarescat: & quamvis ad *Tussim* subeundam valde *proclivis* sit *infantilis* ætas, tamen hoc themate plane *singularem* Tussis speciem proponere lubet: etenim aliquando infantes a *nativitate* ob malam *pulmonum* conformationem, velut *indurationem*, *concretionem* cum *pleura* &c. tussi laborant: nec non infantes *rhachitici* nati, notantibus *Primerosio*, *Glissonio*, *Mayovio* tussi valde *molesta* & *suspecta* frequentius affliguntur: proinde *aëris frigidiusculi* inspirationem, *frigidi potus* ingestionem, sensibilem reliqui *corporis refrigerationem*, *sudoris* repressionem, aut paulo majorem *afflatum aëris* tussis molestæ invasio sequitur; alii infantes *dentitionem* cum *tussi* conjunctam experiuntur; quidam

cum

cum *acboribus*, *scabiosa* infectione, *variolis* & *morbillis*, *purpura urticata* &c. tussim subeunt: aliqui ob *lac* pravum, ob *ventriculi* nimiam *oppletionem*, ob alvi *obstructionem* aut *segniorem* exonerationem in tussim incidunt, adeo ut ex *diversis* causis tussis *frequentius* infantes corripiat & nunc *pectoralis*, nunc *stomachalis*, nunc *alterius* indolis existat: quid quod talis infantum tussis, non modo *sæpe* subjecta invadit, sed & *diu* imo aliquando *vehementer* detinet, exercet, cruciat, ut cum *metu* & *commiseratione* afflictos infantes tussientes audiamus, quid quod in illa *cura* constituti simus, ut in *tenellulis* corpusculis actualem & funestam internam *viscerum* aut *vasorum* disruptionem præsumamus; neque tantum *tussiculosæ* tales calamitates a causis *communibus* ortum trahere solent, sed & non raro cum plane *extraordinariis* cohærent, unde cum *variolis*, *morbillis* & specialissimis aliis *exanthematicis* efflorescentiis consentiunt: nos hoc loco non *promiscue* de *omni* infantum tussi, neque de *eminenter symptomatica* tussiculosa afflictione disserimus, quæ prædictos *exanthematicos* morbos comitatur, sed *aliam* Tussis speciem indicabimus & explicabimus, quæ *utplurimum* magis *morbum*, quam symptoma morbi constituit, quam tussim *interdum exanthemata* quædam sequuntur & *consecutive* comitantur, ut exindé gravis *complicatus* morbus emergat: *Est itaque hæc tussis vehemens pectoris & pulmonum succussatio, cum profunda & anxia aëris retractione & subitanea efflatione, nec non suffocatorio spastica comminatione & eximio clangore & sonitu, suffocationis punctum referente, ut & expectoratione multæ spissæ tenacis materiæ flavescentis, quasi purulentæ, interspersis nonnunquam cruentis stigmatibus conjuncta, a certa aëris intemperie excitata, per intervalla & instar paroxysmi sæpius irruens, proinde diuturnum decursum servans, anomalos motus febriles provocans, sæpius etiam purpuram, cutaneas inflammationes, lentam febrem, imo aliquando hecticam &*

mortem

mortem pedissequas habens: De hac specie tussis hoc loco præcipue disseremus: Per *Infantes* non tantum intelligimus pusiones, quam diu *fari* aut *loqui* nequeunt, juxta vernaculam Unmündig: uti *Cicero pro Cluent. c. 18.* eloquitur: *timebam si nihil dixissem ne infantissimus existimarer;* sed potius *periodum Infantiæ* extendimus cum *Censorino* & *Dieterico n. 643.* ad *septimum* ætatis annum; qualem ætatis *infantilis* ambitum & periodum etiam agnoscit *Celeb. D.D. Stahlius in dissert. de fundamentis morborum ætatum: conf.* de tali *differentia* ætatis infantilis ad mentem *Hippocratis Hollerius Comment. in 3. Sect. aphor. 26. Epidemicam* hanc appellamus, utpote *distincte insolitam* & a causa *externa* provenientem, unde *uno eodemque* anni tempore *plura* individua corripiuntur: hinc *Epidemius* morbus, *populariter* grassans nuncupatur: huc referimus, quæ *Foësius in Oeconomia Hipp. sub titulo* Επιδημ@ profert: *popularis morbus externus aut adventitius habetur, a communi & insolita causa natus: de quo Libb. Epid. agit Hipp. ut & de vernaculo Lib. de aëre loc. & aqv.* ἐπιδήμον νοσημάτων *causam valde communem facit Hippocr. nempe aërem quem inspiramus, non victum:* & porro: *Cum vero morbus unus populariter & vulgo grassatus fuerit, manifestum est non victum* (forte non primario) *sed quem trahimus spiritum in causa esse:* proxime: *Sunt qui toto genere perniciem præ se ferunt, qui* λοιμώσεις *& pestilentes sunt: alii vero minores, qui generis nomine* ἐπιδήμιον *vulgo & populariter grassantes vocantur, quales multi Libb. Epid. describuntur, qui cum omnibus communes sunt & universales, passim & in obvios quosque sæviunt, valdeque communem causam, nempe aëris inspirationem habent:* Et *Willisius in histor. Febb. Epidem.* pro causa *Epidemiorum* morborum non semper *malignum* aut *venenosum aëris vitium, sed interdum constantem, aut diu durantem anni temporum intemperiem cap. 17.* agnoscit: id quod etiam *Ballonius Lib. 1. Epidemiorum* testatur; ex qui-

bus inclarescit, quod hanc tussim *Epidemicam* quidem declaremus, sed *minus contagiosam*, aut *proprie* malignam, nisi *malignus* quidam affectus eidem *superveniat:* ita *Hagendornius* singularem talem *Epidemicam tussim Cent. 1. histor. 83.* descripsit, quæ in *nonnullis* subjectis expectorationem quasi *purulentam* & *eruentam* complicatam tenuit, licet hæc a *præsentis* thematis specie adhuc discrepet. *conf. Act. Uratislaviensia 13.* Versuch. *p. 375.* Et hæc quoad *titulum* indicare placuit.

§. II.

Convertimus nos jam proxime ad *Historicam* hujus tussis delineationem, ut ex genuinis suis *signis* magis inclarescat tam *species*, quam *indoles* hujus affectus: quod itaque *subjecta* concernit, quæ *hac tussi* affliguntur, tunc communiter non sunt infantes *valde tenelluli*, sed infantes *viribus comparate* robustiores & *corpore* firmiores, adeoque in altero & sequentibus ætatis annis constituti, utplurimum haud ex *famelica* culina enutriti, sed diæta *bona* & *plena* fruentes, hinc de *lymphæ* ubertate participantes, subinde *excitatioris* animi, crebris *cursitationibus* corporisve *exæstuationibus* subjecti & in temperie *aëris* & *diætæ* varios & frequentes errores & *excessus* committentes: inchoat hæc tussis familiariter, utpote *alia* tussis *sicca*, pedetentim *increbescens*, alvi *siccitatem*, in nonnullis vero subjectis suspectam *adstrictionem* inferens, per *plures* dies continuans, citra subitaneum *febrilis* motus concursum; *proxime* vero hæc tussis ita *augescit*, ut per naturalem diem *iteratis simultaneis* vehementibus & repentinis insultibus invadat, adeoque *alternante* succussatoria pectoris *extussiente* agitatione affligat, *repente profunda retractione* aëris & conjuncto ex *intimis* pulmonum adscendente clangore & *sonitu*, velut quiritante & *epilepticorum* instar *clamante* continuet, mox subito *extussionem* prædictam prosequa-

ſequatur & *ſub hac* materiam *ſpiſſam, tenacem. flaveſcentem*, copioſam, velut purulentam *intra os* deferat, quam afflicti miſeri infantes *exſpuere haud* valent, ut propterea adſtantes illam ex oris cavitate ſubito abſtergere & educere debeant, quoniam uno actu mox inſequitur prædicta violenta & impetuoſa *retractio* aëris, aut *ſuffocativa* inſpiratio, ſub qua hæc materia, quæ *intra os* delata fuit, denuo in *aſperam arteriam* reducitur, ut *poſtea* vehemens *extuſſio hanc* & *novam* aliam ſimilem materiam ejiciat, qualis miſera *mutatio* & *repetitio* modo recenſitæ *extuſſionis* & *ſpaſtico-ſuffocativæ* aëris *retractionis uno eodemque* tali paroxyſmo per *aliquot* horæ momenta durante, decies aut vicies, contingit, ut adſtantes aut ſubitaneam *ſuffocationem*, aut violentam internorum viſcerum *dilacerationem* conſequentem pertimeſcant: ſub tali vehementi commotione afflicti infantes extreme *anguntur*, in facie admodum *rubeſcunt*, imo *livido* & ſuffocativo *rubore* excandeſcunt, *venæ* capitis inturgeſcunt, *ſudor anxius frigidus* in toto corpore erumpit, cor valde *palpitat*, pulſus *durus*, *magnus* & *fortis* ſub tali paroxyſmo exiſtit, quid quod miſeri infantes ſub metu *ſuffocationis* conſtituti, *manibus pedibusque* valde operoſi exiſtunt, *calcitrando* & brachia vehementer *projiciendo* & agitando *angorem* & ſummam ſuam afflictionem denotantes: quotiescunque talis paroxyſmus *præteriit*, toties extreme *enervati*, *animo* & *corpore* abjecti conſpiciuntur, donec poſt aliquam moram *vires* quadantenus colligant & *paululum* reficiantur: Et hujus calamitatis ſcena non modo per *aliquot dies*, ſed & per *plures* ſeptimanas continuat: *appetitus* interea, ſi *ſolitaria* hæc eſt tuſſis, *mediocris* per initia eſt ſi vero *diutius* continuat, aut cum *alio conſequente* affectu *combinatur*, non modo magis *imminuitur*, ſed & tandem plenarie *dejicitur*. *Materia* quæ hac tuſſi ejicitur ipſa etiam *quantitate* valde *ominoſa* eſt, ſiquidem *quo-*

libet insultu & paroxysmo tussiculoso *magna* illius copia expectoratur, ut subinde facile concludere liceat, quod *illa* quantitas quæ in termino *naturalis* diei evacuatur, non *facile*, aut *semper* uno eodemque pondere *eademque quantitate* in pulmonibus latitaverit, sed quod illa *continua* translatione *successive* intra eosdem afferatur: interim *singularis* illa est observatio, quod *eadem* materia durante *acerbitate* hujus affectus semper prædictis qualitatibus referta & prædita sit, unde illi, qui hujus tussis indolem *nondum* pernoscunt, anxia & terribili prognosi *phtisin erumpentem* ominantur, licet hæc materia adhuc ab illa, quam *phthisis* è pulmonibus projicit (ut infra §. V. notatum est,) diversa sit, interim *hujus tussis* excreta materia, partim *majori flavedine*, partim eminentiori *spissitudine*, partim *odore* & *copia* a *purulenta* materia *vera* discreta est, quæ alioquin in nonnullis affectibus, tam *simplicibus* quam *complicatis* expectorari solet.

§. III.

Ex hactenus recensitis indiciis facile porro inclarescit, quod *hæc Tussis* de Prosapia & specie *Convulsivæ* Tussis existat, in qua *diaphragma* validissima *contractione* multum patitur: talem *analogam* Tussim medici *Parisienses* annotarunt, quam ex *numero recurrentium* paroxysmorum *tussim quintam* & *quintanam* appellarunt; nos vero antea indicavimus, quod hæc tussis *multo sæpius* recurrere soleat in *nostris* regionibus: *parallelam* Tussim commemorat *Dn. Reinmann* Medicus Eperiessinus in *Historiis Uratislav. XXXV.* Vers. §. *312. seq.* de qua tussi autor scribit: Es betrift dieselbe meist die kleine Kinder, und die so intra primum annorum septenarium constituiret sind: adultiores gar selten; weil nehmlich dieser ætas humidissima ist; de *nostra* tussi porro in *historica*

rica relatione indicamus, quod interdum *medioris Coryza* eidem conjungatur, imo quod sub *vehementi* tussi non modo *spissa* materia *fauces* oppleat, sed & *infundibulum* intret, adeoque per *nares* exeat & *suffocationis* metum *augeat*: ob hunc *angorem* urina *involuntario*, sed *violento* plane modo exprimitur, & si alvus non clausa & stricta est, *excrementa* plane dejiciuntur: *acerbitas* porro hujus tussis sub *quolibet* paroxysmo totum *vultum* immutat, *oculos* valde protuberat, *efficitque* ut *plenissimo* ore anxii infantes spiritum attrahant, hincque *anguli* oris non raro aliqualem *rupturam* patiantur, & *sincerus* sanguis ex ejusmodi locis *dilaceratis* effluat; præterea ejusdem tussis impetus ita gravis & *vehemens* est, ut sæpius unà ob *diaphragmatis* constrictionem *stomachus* irritetur & totus *ventriculus* in *consensum* trahatur, ita ut *sub* tussi actuales *vomitiones* concurrant, quibus id, quod in ventriculo hærer, sive fuerit *alimentum*, sive *medicamentum*, sive *recrementum* simili impetu ejicitur & eructatur, ut ob necessarii *alimenti penuriam*, eximia *contabescentia* & ob *remediorum* rejectionem totius affectus major *contumacia* conjungatur: quoniam itaque hæc enormis tussis per aliquot hebdomadas sua *acerbitate* continuat, ita indies magis *habitus* corporis *impallescit*, *extenuatur*, aut marcescit, ut metus *phthiseos* & *hecticæ* ingruentis & urgentis animos adstantium & adsistentium corripiat & detineat; imprimis *facies* valde *tenuis* & *pallida* comparet, *oculi* redduntur concavi, *nares* & *mentum* acuminantur, *labia oris* impallescunt, *livor* oculos circumducit & *turbidus* color hosce obscurat: hinc superato hoc *arduo* tusticuloso morbo, recensita hæc indicia testimonium evidens de *gravitate* affectus perhibent; Notatu quoque *digna illa* est circumstantia, quod infantes quemlibet *ingruentem* paroxysmum tusticulosum *præ-noscant* & uno quadrante, aut dimidio spatio horæ an-

tea *distinctum angorem*, peculiarem respirationis *difficultatem*, pectoris *oppletionem* & ominosum *ronchum* in *pulmonibus* experiantur, sub qua afflictione & angustia communiter insolita *taciturnitate* & *enervatione* affecti conspiciuntur miseri infantes, ut adstantes ex hisce signis mox *insultantem* tussim præsagiant, quæ etiam subito irruit & tragœdiam suam, hactenus commemoratam, agit; Hæc tussis aliquando *ita violenta* & enormis est, ut intimius *disruptio* quædam superveniat & proinde una cum prædicta materia *sanguinis* sinceri notabilis & *ominosa* quantitas eructetur: quicunque etiam infantes *copiosum* sanguinem gerunt & antehac actuales *narium Hæmorrhagias* experti sunt, vel in easdem *inclinant*, illi sub hac vehementi tussi & compressione sanguinis intra caput, *facilius* expressionem & *emanationem* talem sanguinis e *naribus* comitantem & totum affectum *ominosiorem* reddentem suscipiunt.

§. IV.

Dum itaque *tantis* calamitatibus præsens tussis affligit & *diu noctuque* continuat, miseri infantes sub *indies* augescente *virium* prostratione, *turbulentum* somnum, aut *insomnes* plane noctes experiuntur; unde *major enervatio* & *reliquarum* functionum vitalium, animalium & naturalium gravior *perturbatio* consequitur: huic tussi vero in *multis* infantibus cum mora supervenit ominosa *purpura*, sive *rubra*, sive *alba:* hoc purpuratum miasma si *humoribus* innatat & cum hisce, *teneris* partibus membranosis & nervosis *advehitur*, tunc non modo præsentem tussim *contumaciorem* & *acerbiorem* reddit, sed & præjudiciosam *alvi adstrictionem* causatur & *febrilem* motum convocat, qui in *rubra* purpura *lenior*, in *alba* vero intensior & *acutior* est; servat tamen hic suas *remissiones;* interim *non diu* remittit, aut intermittit & *uno die* paulo

tran-

tranquillior, *altero* vero *fortior* esse comparet *febrilis paroxysmus:* sub hoc statu *appetitus plane* projicitur & *vires plus* prosternuntur; *quamprimum* vero purpura *efflorescit*, præcipue *rubra*, tunc *tussis* sensibiliter *mitigatur;* quæ mitigatio vero in *alba* & periculosiori purpura non *tam cito* consequitur, quoniam *ipsa hæc* purpura paulo *longius* se protrahit: & cum hoc purpurato affectu *concurrunt* insuper consueti & *distincti*, quos nominant *acidulos*, sudores, *Urina* est *rubicundior* & si affectus *bene* procedit, *sedimentum* largum modo *rubello-pallidum*, modo *puniceum* deponit: *efflorescit* vero hoc miasma purpuratum *magna* satis copia, cum eximia *asperitate* cutis; imo ubi *major* impuritas humorum adest, *alba* præcipue purpura, in *facie* & *manibus* præter ordinem & consuetudinem efflorescit, ut & valde protuberat, ita ut *exempla* in praxi medica occurrant, quod talis *distincta maligna* purpura *leprosum* quendam statum præsentaverit & æmulata sit: Continuat itaque talis *purpuratus* affectus per *unam alteramve*, imo *plures* septimanas, & si exanthema, quod *semel* effloruit, non *retrocedit*, spes *major* restitutionis affulget: interea etiam contingit, ut sub continuante *placida diapnoë* & *peracta* efflorescentia cutanea alvus, quæ *antea* tenacius *adstricta* fuit, nunc *sponte* liberetur & indies *multa*, sed non repetita dejectione se exoneret, naturaque tali modo in *ordinem* revertatur, quod indicium *fidum* consequentis *convalescentiæ* existit; proxime pustulæ cutaneæ *exarescunt* & *desquamantur*, febrilis motus *tepescit*, mitescit & tandem penitus cessat, *appetitus* eminenter, imo cum *aviditate* revertitur, *vires* pedetentim colliguntur, *tussis*, quæ hactenus *acerbissime* afflixit, imminuitur & *frequentia* recursus & *vehementia* gradus & motus & *eminentia* copiosæ materiæ, quæ *hactenus excreta* fuit; hinc miseri patientes *longius* tempus acquirunt ad capessen-

peſſendum *Somnum*, acquirendam *quietem* & erigendas colligendasve *vires;* Hiſce omnibus notatu dignis circumſtantiis *hanc* adhuc annectimus, quod in *variis* infantibus, qui hac *tuſſi* & *purpurato* laborarunt affectu, *finita* purpura, modo in *facie* & *collo*, modo in *brachiis*, *dorſo* & *pedibus minores*, aſt *plures* oriantur ſuperficiales *inflammationes*, quæ ad maturationem properant & numeroſiora apoſtemata, quæ ſub *inflammationis* & *maturationis* proceſſu graviſſimos *dolores* excitarunt, conſtituunt, adeo, ut in hoc alias *gravi* affectu nulla calamitas *ſola*, ſed complicata & *multiplicata* ſit: interim & hi abſceſſus purulenti, ſucceſſive *ſponte* conſolidantur & ab iisdem afflicti infantes liberantur.

§. V.

Interea *non omnes* infantes, qui *hac tuſſi* correpti ſunt, *purpuram* & *ſuperficiales* inflammationes experiuntur, ſed ſi hic affectus *meliori* coronatur exitu, poſt *ſex*, imo adhuc *plures* ſeptimanas, tuſsis pedetentim *minuitur;* interim hactenus afflicti infantes valde *debiles* ſunt, neque cito *vires amiſſas* colligunt; proinde aut *extenuati* & *pallidi*, aut *tumiduli* & *pallidi* in facie conſpiciuntur; *appetitus* lente revertitur & *poſt paſtum* quædam *moleſtia ventriculi* corripit, imo interdum *febrilis lenis*, aſt *anomalus* motus, febri *lentæ* ſimilis, ſupervenit, ut itaque talis tuſsis in variis infantibus *ſpecialem* talem *appendicem* complectatur; quando vero *congrua medicamenta* propinantur & continuantur, tunc hæc ventriculi moleſtia proxime *emendatur:* in infantibus temperamento *floridiori* & *ſanguine copioſo* præditis, tuſsis hæc in ſua *vehementia* continuans, *anomalicos febriles* motus concitat, qui deinde totum morbum *graviorem* indicant: quo *impetuoſius* ac *contumacius* tuſſis perſiſtit, eo facilius excretio *alvina* turbatur

tur & imminuitur, ut subinde humorum decubitus *intra pulmones* fortius & diutius insistat: Hæmorrhagiæ narium, sub hac tussi obtingentes & vi provocatæ, *nihil levaminis* afferunt; si *largiores* fuerint, magis *enervant* & reliquum affectum turbant, si vero *sponte* in infantibus *calidioris* temperamenti & *plethoricis* evenerint, tunc *capitis* dolores, *febriles* concursus & fortiores *congestiones*, ad *caput* & *pectus* abeuntes, mitigant: Ob *gravem* commotionem *tussiculosam* oriuntur etiam dolores in hypochondriis & in dorso *contusorii* & alternantes *tensorii:* quando vero *purpura* huic tussi *supervenit*, tunc dolores spastici *artus* etiam affligunt & cruciant: eadem etiam *vehemens* & *frequens* tussiculosa commotio adeo *musculos* thoracis, *respirationem* sublevantes, *enervat*, ut in *exitu* morbi nihilominus *respiratio* paulo *difficilior* permaneat, quamvis *oppletio pectoris* mucida non valde amplius *urgeat:* hinc pectus aliqua *roboratione* indiget, quam *respirationi* administrandæ novisque *humorum affluxibus*, *secessionibus* & *stagnationibus* avertendis satisfaciat: illud vero in hac *historica* præsentis affectus descriptione annotamus, quod *materia*, quæ excernitur, ab *illa*, quæ in *phthisi*, *peripneumonia* & *angina suppurata*, nec non *vomica pulmonum disrupta* ejicitur, ut & quæ in *ulcere faucium* & *ozæna* exscreatur, valde *discrepet;* siquidem in *phthisi* materia non *ordinarie* est spissa, nec flava, sed *liquida* livida, spumida, pallido-livescens & *fœtida*: in *peripneumonia* & *angina suppurata* est quidem *flava*, sed *semicruenta*, *liquidior* etiam & *olida;* in *vomica pulmonum* est valde *fœtida*, *discolor*, *flavescens*, *livescens*, *cinerea*, *cruenta*, ex parte *tenuis*, ex parte *spissa;* in reliquis *ulceribus* est *distincte fœtida*, cinerea, livida, spumida: hæc vero materia, quæ *in hac* tussi ejicitur, est *valde* flava, quasi *sulphure*, aut *dilute croceo* colore tincta, admodum *spissa* & cohærens, adeoq; viscida, ob quam tenacitatem tam ægre ex-

pectoratur, in faucibus obhærescit & *sponte facile* excerni *haud* potest, quare accurrentes & adsistentes illam materiam, quotiescunque in *anteriorem* oris regionem pervenit, mox abstergere, educere & separare debent; *aliquando* hæc materia, ut *supra* monitum fuit, *cruentas* moleculas *intermixtas* habet, quem statum medicus *haud promiscue* abhorrescere & ex eodam infallibilem *phthiseos* consecutionem præsagire debet: siquidem hic *exiguus* sanguis non semper e *pulmonum* substantia provenit & si etiam ex ipsa provenerit *levis* læsio *faciliorem reparationem* & *consolidationem* subit.

§. VI.

Post *Diagnosticam* præsentis affectus explicationem, nunc in ordine *Prognosticam* illius disquisitionem proponemus: quam ob rem sciendum quod hæc tussis in *teneris* valde, admodumque *sensibilibus*, aut alias *valetudinariis* infantibus, præcipue *Rhachitide* laborantibus, *magis* periculosa, imo communiter *funesta* existat: quo *impetuosius* illa affligit, quo *sæpius* recurrit, quo *diutius* insistit, quo magis cum *aliis* affectibus *complicatur*, nec non aliarum *ordinariarum* evacuationum *turbas*, *imminutiones*, aut *retentiones* infert, eo *periculosior* illa etiam existit: quando illa tussis *symptomaticas* Hæmorrhagias *coacto* modo causatur, tunc status morbi magis *intricatus* & *pravus* est: præcipue vero contumax *alvi adstrictio* hunc affectum valde *exacerbat* & pertinacem ac *refractarium* reddit: vicissim vero alvi *liber* successus, aut *moderata* laxitas & lubricitas illum potius *lenit* & *tractabiliorem* reddit; proinde adversa talis *obstipatio* alvi interdum alium *latitantem* arduum affectum, qui *brevi* eructabit & cum priori se *complicabit*, prodit, sive fuerit *purpura alba*, aut *rubra*, aut *urticata*, aut *variolosus*, aut *morbillosus* aut *alius* affectus: præcipue vero *complicatio* hujus tussis cum *alba* purpura *valde* periculosa est, quoniam vel *solus* hic posterior

ſterior affectus *teneram* hanc ætatem, ejusque *vires* ſuperat, ut *facile* ſub eodem infantes *ſuccumbant:* quoniam itaque ab *utroque*, illo *tuſſiculoſo* arduo, hoc *purpurato* periculoſo morbo vires *eximie* enervantur, ita ex *duplicato* gravi tali periculo ægre emergit infantum natura: quando hanc tuſſim aut *typica*, tanto magis vero *anomala* febris *comitatur*, tunc iterum ſtatus morbi *periculoſior* exiſtit: ſi cum hac tuſſi *catarrhus ſuffocativus* conjungitur, tunc facile *funeſtus* morbi ſtatus ſupervenit: *Defluxio* humoroſa ſeroſa ſalſa acris *e capite*, intra *fauces* & ſeceſſio illius *intra pulmones*, hunc affectum eo *graviorem*, pertinaciorem & periculoſiorem reddit; ſiquidem inter alios *Ballonius Lib. 4. Epid. Schneiderus de Catarrhis & Piſo de morbis ex ſeroſa colluvie* ſollicita & attenta obſervatione *hanc defluxionem* annotant, illiusque *efficaciam*, ad concitandos morbos *pulmonum*, inprimis vero *tuſſiculoſos* arduos & contumaces conſiderant & accuſant: quando hanc tuſſim *aliquandiu*, ſuſpecta *pectoralis ſicca* tuſſis vel *antecedit*, vel *ſequitur*, tunc *juſtus* ſubeſt metus, quod *alia* pulmonum *labes* & *vitioſa* conſtitutio adſit, quæ nihilominus *funeſtum* exitum cauſatur: Si hanc tuſſim, quando jam *ſuperata* & *curata* videtur, valde *difficilis* reſpiratio, videlicet *dyſpnoea*, aſthma cum *clangoſa* & *ſonora* aëris *inſpiratione* ſequitur, tunc communiter *infarctus* in pulmonibus hæret, qui brevi & facile in *corruptionem* funeſtam ruit; quando cum hac tuſſi motus *convulſivi* combinantur, *deterior* ſane eſt totius affectus ſtatus, quoniam ab iisdem facile in *pulmonibus* perniciosi effectus oriuntur, dum ſub reliqua *vehementi* tuſſiculoſa commotione, hic ſuperveniens nimius & *extremus* motuum gradus, facile arduas & perniciosas *alterationes* cauſatur, quæ *infarctum* in *nobili* viſcere continent, ſicut violentæ *vaſorum* ſanguiferorum *disruptiones* ab iisdem provenire poſſunt, imo etiam in hoc caſu inter-

dum *solent*: *Soporosi* affectus, quando cum hac tussi concurrunt, *eximium* periculum portendunt & cerebri *consentientem* oppletionem *humorosam*, atque *nervosarum* illius partium enervationem *præjudiciosam* ex parte indicant, quibus si tandem motus *convulsivi* superveniunt, brevi *funestus* instat exitus: quando *purpura* efflorescentia sua enititur, sed in excretione *actuali* non progreditur, aut post efflorescentiam *regreditur*, periculosum est signum: si post *mitioris* purpuræ eruptionem tussis hæc *non facile* aut brevi remittit, suspectum est indicium & *latitantes* adhuc suspectas *impuritates* denotat: quicunque infantes *hæreditaria* quadam alia *pectoris* afflictione laborant, illi hac tussi correpti, *valde* periculose decumbunt: quicunque etiam *impuros* humores continent & ex intemperata *diæta* & malo *regimine* talem humorum *dyscrasiam* collegerunt, illi hac tussi *ægrius* laborant, & *diutius* affliguntur: aliquando accidit, ut hæc tussis *fœdam* & *pravam scabiem* pedissequam habeat. *Hæmoptysis* actualis, præcipue *larga*, quæ cum hac tussi conjungitur, periculo *plenissimum* statum indicat, ut vel *citius* ipsa *hac* tussi *expirent* infantes, vel in *phthisin* & *hecticam* mortiferam delabantur: *minor* vero sanguinis expectoratio haud *tantum* periculum complectitur, sed faciliorem *plenariæ* restitutionis spem residuam continet, dum *minor* etiam interna læsio in hac ætate, ubi *vegeta nutritio* procedit, facilius reparatur: modo *adversa* non repugnet *medicatio*: quando superatam hanc tussim bonus *appetitus*, quietus *somnus*, libera *respiratio*, aperta *alvus*, tranquillus *animus*, vegetus regressus *virium*, naturalis *color*, extenuati corporis nova *modica* & *successiva* confirmatio excipit, bonum est signum: interea non silentio prætereundem est, quod nonnunquam hæc tussis in *lethalem phthisin* & *hecticam*, aut suspectam *febrem lentam* & *ex hac* in funestam iterum

rum hecticam delabatur: quando hanc tussim *sudores nocturni*, *virium defectus*, *appetitus inconstans*, animus abjectus &c. consequuntur, malum est signum: Et hæc sunt, quæ in compendio de *Prognostica* hujus affectus æstimatione & explicatione proferre placuit.

§. VII.

Convertimus nos jam ad *Pathologicam* illius explicationem, in qua ante alias meditationes *Epidemicam* hujus tussis qualitatem advertimus: haud enim præsens nostrum institutum postulat, ut *causas* tussis infantilis *in genere* pertractemus, sed potius ipso præmisso titulo significamus, quod hæc tussis *specialissimam* causam agnoscat; illa præcipua est aëris *intemperies frigida*, *humida*, *ventosa*, alternans *tepida*, *calida*, *calido-humida* & *frigido-humida*, quæ hanc ætatem valde *sensibilem* facile & eximie *alterat*; inde enim contingit, ut ob *variabilem* talem aëris qualitatem *pectori* & *pulmonibus* communicatam, nunc *copiosiores* humorum affluxus *intra* hasce regiones convocentur, nunc eædem partes subitanea *constrictione* afficiantur, adeoque humorum infarctui & *stagnationi* illico occasio præbeatur, hoc vero modo legitimus *ordo* in *progressu* humorum, nec non in *salutaribus* se & excretoriis functionibus turbetur, hincque pertinax *congestio* ad pectus invitetur; quoniam vero in *infantili* ætate humores *lymphatici* & *mucaginosi* abundant, tunc pulmones *iidem* humores, qui *alias* copiosius per eosdem transire solent, sub hac dispositione copiosius etiam *opplent*, & diutius detinent, unde *substantia* pulmonum *membranosa* relaxatur & per illam *largius* hi humores intra *cellulosam* pulmonum compagem confluunt; illico *aliquamdiu* stagnant, *spissiorem* consistentiam induunt, serum *acre*, *una* transiens, in suam *miscelam*, assumunt, quod teneram & *sensibilem* pulmo-

num ſubſtantiam *ulterius* irritat, reliqua vero congeſtio e reliquo corporis ambitu & tractu immoderatius continuat, ut *evacuata* licet *humoroſa* pulmonum oppletione, indeſinenti tamen & contumaci fervore prædicta *congeſtio*, *novam* talem materiam in *laxos* & afflictos pulmones transferat: ſiquidem ipſa vehemens, & *frequens* talis tuſſiculoſa commotio, ſemper a tergo novum magnum *humorum affluxum* concitat: hinc per *intervalla* & moram talis tranſudans & in pulmones *ſecedens* materia colligitur, poſtea ita collecta ejicitur & *iterata* vice ex reliquo humorum latifundio in eundem locum affectum defertur: *Materia* vero quæ excernitur, non eſt *nude mucida*, ſed largius *lymphatica* gelatinoſo-alimentoſa; cujus *penuriam viſibili* documento corporis *contabeſcentia* & privatio nutritionis conſequitur: ab hac etiam *gelatinoſa* ſubſtantia una cum ſero *ſulphureo* tranſudante, illa materia quæ hac tuſſi ejicitur *flaveſcentem* ſuum colorem obtinet: hinc *quo magis* infantes de tali *lymphatica* ſubſtantia participant, imo quo plus tale ſerum continent, eo *acerbior* hæc eſt tuſſis, eoque copioſior eſt expectoratio: interea *diutius* continuans hæc *immoderata* tuſſis ſemper *majorem* pulmonibus conciliat relaxationem, unde illi *affluxui* & *ſtagnationi* humoroſæ eo minus *reniti* aut reſiſtere poſſunt: *Principalis* itaque occaſio, quæ ad hanc tuſſim contribuit, a prædicta *aëris* qualitate & mutatione provenit, unde hic affectus *Epidemicus* evadit, ſiquidem *tali* tempore *plures* infantes hac tuſſi corripiuntur: interea non repente hic affectus illam aëris *intemperiem* ſequitur, quamvis ex eadem *primum incitamentum* proveniat, ut dein ſua atrocitate hic affectus irruat & continuet: hinc nonnulli infantes inquieti & curſitantes corpus ſuum valde *exæſtuant*, ſub hac incaleſcentia aërem *frigidum* & *humi-*

humidum inſpirant, indeque *ſtagnationibus* humorum in *pulmonibus* viam aperiunt: tot *diverſæ* itaque qualitates auctioris *æſtus* in ſanguine, unde poſthac pulmones *plus incaleſcunt*, deinde allabentis *frigidæ* auræ, nihil aliud ad hujus affectus *principalem* excitationem efficere & contribuere poſſunt, quam ſanguinis cum *multa* lympha remixti *impetitiorem* progreſſum per pulmonum ſubſtantiam; quod impedimentum mox excipit *membranoſæ* pulmonum texturæ *relaxatio*, quam *humidus* aër inſpiratus multum promovet, nec non *lymphæ* ſtagnantis & per *relaxatos* pulmones una cum *mucagine* & *ſero* tranſudantis & ſecedentis *incraſſatio*, quam *ſtagnatio* invitat & aër *frigidu* inſpiratus promovet & adauget; unde facile demonſtrari poteſt, quod hic morbus a *perverſis* tempeſtatibus aërisque *injuriis* excitetur; quamvis *reliqua* humorum *intemperies*, in infantibus obvia, eundem *acerbiorem* & *pertinaciorem* reddere queat ſoleatque.

§. VIII.

Quando ſubinde ex ejusmodi *aëris intemperie capitis* etiam *catharrhales* affectus oriuntur, velut *Coryza*, & *Gravedo* & materia ſeroſa *acris* per *conſenſionem* & connexam *congeſtionem* pulmonum vicinitati communicatur & advehitur, tunc modo *excitati* pulmones majoribus & *acerbioribus* congeſtionibus affliguntur, hinc ſub magna & *pertinaci* congeſtione ad *pectus* tendente, alia *excretoria* loca, præcipue *alvus*, occluduntur, indeque *oppletio* pectoris humoroſa & conſequens *expectoratio* augetur: quoniam vero *hæc materia*, quæ per hanc tuſſim ejicitur, non modo *copioſa*, ſed & *viſcida* eſt, ita *quamdiu* in aliquo tractu *celluloſæ* pulmonum texturæ hæret, valde *difficilem* & *anxiam* reddit reſpirationem, donec uno impetu ad excutiendam hanc *moleſtam* materiam *tuſſis* ſuperveni-

veniat: aſt dum *ſpiſſa* hæc materia ſub ipſo *expectorationis* proceſſu & actu in intimioribus *minoribus*, deinde etiam *majoribus* aſperæ arteriæ ramis obhæreſcit, & *ægre* adſcendit, ita non modo ſub qualibet tali expectoratione *ſuffocationis* metus imminet, ſed & ad illam *avertendam* & materiam talem *excutiendam* maximo impetu *tuſſiculoſus* motus *augetur*, quod augmentum interdum cum *convulſivis* motibus combinatur: ſub hac *vehementi* commotione *ſanguis* valde ebullit & fortius intra *præcordia* & *caput* comprimitur, ut magna harum regionum *oppletio* cum humoribus conjungatur: ob id in hac tuſſi *una cauſa aliam* provocat; unus effectus *alium* allicit; neque mirum eſſe poteſt, ſi ob tam *violentam* & vehementem commotionem *vaſcula* ſanguifera, aut in *naribus* aut in pulmonibus diſrumpant, & dehinc aut *narium Hæmorrhagia*, aut *Hæmoptyſis* concurrat: quid quod ſi *diaphragma* ſub hac tuſſi tam vehementi *ſpaſtica* conſtrictione afficitur, facile contingit, ut per *conſenſum* ventriculus *vomitibus* ſe exoneret: quotiescunque vero tam vehemens & *anxius* paroxyſmus tranſiit, toties *vires* valde enervantur: dum porro ſub & ex hac tuſſi *ſubſtantia* pulmonum magis *relaxatur*, hinc humores largius eo *confluere* eandemque texturam copioſius *implere* ſolent, unde evenit, ut *citius* & *largius nova* ſeceſſio hujus materiæ intra *veſicularem* pulmonum cavitatem contingat & propterea admirationem haud promereatur, unde *tam cito* iterum *nova* talis materiæ *quantitas* proveniat; ſi itaque undique ex pulmonibus confluit, tunc poſtea denuo tanto novo impetu ex diverſis pulmonum *diſtantiis* hæc materia *convehitur*, ut ex *minoribus* in *majores* aſperæ arteriæ ramos, tandem in *bronchia* & *truncum* ejusdem arteriæ deferatur, quæ ubique ſua *tenacitate* liberæ & facili excretioni valde reſiſtit, unde ſub excretione tandem *ſuffocationis* comminatio-

nationem incutit, quæ ipsa materia in *capite tracheæ* fluctuans asperæ arteriæ *obstructionem* denuo minatur, ut *impetus* ille expectorationis usque ad *plenariam* ejus excretionem continuet; imo dum *infantilis* ætas *majorem* proclivitatem ad *convulsivos* motus habet, hinc sub tam *eximia* afflictione, ubi adultiores homines sub metu *suffocationis convulsionibus* interdum corripiuntur, tales motus *spastico-convulsivos* modo in *diaphragmate*, modo in *reliquo* corpore experiuntur: Et si *tanto* morbo *onerata* est infantilis ætas, si alimenta *non bene ingeruntur*, nec bene *digeruntur*, quin potius per *vomitum* egeruntur, subinde tam notabilis *gelatinosi alimentosi* humoris copia expectoratur, facile dehinc *atrophicus* ferme status, aut corporis *contabescentia*, *impallescentia* & fibrarum *obrigescentia* ingruit, ut *externo* pariter conspectu *gravitas* hujus affectus emineat.

§. IX.

Quoniam porro infantes, non propter *debile*, sed valde *sensibile* genus nervosum facile in rebus *arduis* & *periculosis*, corpus attinentibus, ad *febriles* motus suscipiendos excitantur, ita non modo in alio gravi *catharrhali* & pectoris morbo, sed & tanto magis in hac *sontica* tussi febris irruit, quæ partim ob *generalem* affectus gravitatem, partim ob *specialem* vehementem *pectoris* & *totius* corporis commotionem allicitur, non ex confusa & *irrationali* necessitate, sed *eo respectu*, quo præsens periculum *alio motus* adjutorio avertatur: siquidem alias *moraliter* sensibiles homines facile in alia *fortiora* conamina delabuntur: Dum porro hac *impetuosa* tussi tota humorum massa multa *necessariæ humiditatis* copia destituitur, ita facile *reliquus sanguis* suspectam *spissitudinem* induit, qui spissior sanguis sub hac forti commotione tusticulosa quaquaversum compulsus, *huc illuc* præcipue in *stricta* & *tabefacta* peripheria corporis, imprimis ubi *liberior aura* accedit, in aliquam *stasin* ruit, quam mox *inflammatio* & *suppuratio* consequitur: Si

porro hujus *materiæ*, quæ hac tussi ejicitur, expectoratio *cohibetur*, tunc facile *catarrhus suffocativus* supervenit, aut *induratio* pulmonum, aut consequens *phthisis* & *hectica:* qualis funesta *metamorphosis* facile a *perversa* medicatione provenire solet: proinde etiam a vehementi *succusatoria*, subinde etiam *irregulari* commotione humorum *ad* & *per* pectus, sub tali tussi contingente, facile perniciosus *infarctus* in substantia *pulmonum* provocari & consequens *corruptio* ac *hecticæ* combinatio invitari potest atque solet: in quibuscunque infantibus præterea alia humorum, præcipue *lymphæ*, *impuritas* concurrit, in illis *sensibiles* pulmones sub hujus tussis decursu gravius affliguntur & *irritantur*, ut *affluxus* humorum ad illos *pertinacius* continuet & totus affectus *diutius* duret: Seorsim etiam considerandum est, quod prædicta *aëris intemperies* in *aptis* subjectis infantilibus *purpuratum epidemicum* miasma concitare queat: nam quando certi infantes *copiosa* & simul valde *pingui* lympha præditi sunt, hacque *abundant*, si ex *diæta* bona & simul *spirituosa*, nec non ex frequenti *cursitatione* & *exæstuatione* corporis *largiorem* seri *salsi acris sulphurei* copiam colligunt, si ob *aërem* ambientem *frigido-humidum*, præcipue huic statui quadrans excretio *peripherica* & moderate *diaphoretica* impeditur & cohibetur, tunc *inimicum* hoc copiosum serum cito & facile *lympham* invadit & contaminat, qualis *depravatio* deinde pro diversitate *specialis* humorum *mixtionis* aut in albam, aut in *rubram* purpuram degenerat; & hoc *purpuratum* miasma sicut *extrinsecus* teneram *narium* membranam afficit, ut per *longiorem* distantiam *odore* percipi queat, ita *intrinsecus* hac occasione, uti *congestiones* immoderatius *pulmones* affligunt, idem miasma *pulmonum* substantiam magis *stimulat* & præsentem *congestionem* magis *refractariam*, tussim vero *contumaciorem* & *vehementiorem* reddit: quo magis vicissim hoc inquinamentum *purpuratum* excernitur, eo magis *irritatio* illa in *pulmonibus* cessat & tussis sua *acerbitate* quadantenus *remittit:* idem inquinamentum *purpura-*

puratum quando adhuc *humoribus intimius* inhæret ſæpe *adſtrictam* alvum conjunctam habet, velut *variolæ;* quando vero illud in *peripheriam* delatum & denique *penitus excretum* eſt, tunc alvi evacuatio interdum in ordinem conſuetum tranſit; ſicut viciſſim hoc inquinamentum, ad inteſtina translatum & cum bilioſa & acida recrementitia ſubſtantia confluens, perniciosas *diarrhœas* cauſatur: hoc *tuſſiculoſo* etiam affectu proxime quidem pectus & *muſculoſæ* illæ partes affliguntur & *enervantur* quæ ad *reſpirationem* adminiſtrandam *neceſſariæ* ſunt, deinde vero *totum* reliquum *corpus* valde delaſſatur, ut *ſuperato* etiam illo affectu lentius ad *priſtinum* robur revertantur hactenus afflicti infantes: quando vero iterum *congeſtio*, quæ hactenus *pectus* occupavit, *ceſſat*, quando *ordinariæ* evacuationes in *debitum* ordinem abeunt, quando etiam *pectus* & *pulmones* neceſſarium ſuum *robur* obtinent, tunc facilius priſtina *ſanitas* revertitur; quo diutius *catarrhi capitis* cum hoc affectu continuant, eo magis *præſens* tuſſis quotidianum *incitamentum* nanciſcitur, quam ob rem ad *illius* catarrhalis affectus tempeſtivam & *congruam* curationem prudens artifex animum & operam applicare debet: De reliquo non deſunt exempla, quod *ſcabioſum* inquinamentum aut *retropulſum*, aut alia ratione ad *pectus* per ſingularem *congeſtionem* delatum, *extra* concurſum *epidemicæ* rationis *talem* tuſſim concitaverit, quod per modum *exceptionis ſpecialis* hoc loco annotare placuit: in quibus *pathologicis* animadverſionibus, quantum *fundamentalibus* reſpectibus quadrant, ſubſiſtimus.

§. X.

Supereſt ut adhuc *Practicam* præſentis affectus tractationem ſubmittamus, quæ iterum *diſcrepat*, in quantum videlicet hic morbus *ſimplex* & *ſolitarius*, aut *complicatus* exiſtit: In hac *Therapevtica* disquiſitione præmittimus neceſſarias *cautelas*, in arduo hoc morbo probe obſervandas: omnes *ſtrenuæ* & *largæ* evacuationes in hoc caſu *nocent*, dum majorem *confuſionem* & *motuum turbam* concitant: præcipue hoc loco *vomitoria* nocent, (niſi *urgens* & *ſpecialiſſima* ratio illa indicet) quæ *immoderatam* congeſtionem, *pectus* affligentem, magis *exacerbant*: *alvum* irritantia, quando *purpura* urget, *perniciosa* ſunt: *negligentior* vero *alvinæ* excretionis promotio, aut illius *perturbatio* perinde nociva eſt: *phlebotomia*, quam *Sydenha-*

mius in infantum *convulsiva* tussi admittit, hoc in affectu, neque *necessaria*, neque *utilis* est; remedia pectus valde *emollientia*, expectorationem admodum invitantia & urgentia, *pulmones* plus *relaxant*, affluxum humorum eo magis convocant & *reliquas* excretiones hoc tempore *magis necessarias* potius turbant: omnia *acida*, *adstringentia*, *incrassantia* & *crassa absorbentia* hoc in affectu valde sunt *inimica*, quia *necessariam* collectæ in pulmonibus materiæ evacuationem *impediunt*, ipsam illam materiam *magis viscidam* reddunt, alias *salutares* vero excretiones sufflaminant; remedia perquam *calefacientia*, *concentrata*, valde *commoventia*, *spirituosa*, nimis *acria*, uti in *genere infantili* ætati facilius *inimica* sunt, ita in hoc affecto locum non inveniunt: tanto minus, si *purpura* complicata est, quæ alias valde *activa* sic dicta remedia ægerrime perfert: *Sulphuris* usus in præsenti tussi, si non *prudens*, sed *promiscuus* fuerit, rectius *officit*, quam proficit: *præmatura* profligatio *phthiseos* in hoc morbo, per *communia* antiphthisica *facilius* hunc dirum & abominabilem morbum *convocat* & accelerat: *Simpliciora* aquea & *lenientia* magis pulmones *emolliunt* & *relaxant*, ut infarctus & decubitus *humorosus* diutius continuet, quæ ipsam tussim, subinde *pertinaciorem* reddunt: quæcunque remedia *alvinam* excretionem, magis *impediunt*, aut *exsiccant*, aut turbant, aut sufflaminant, illa in hoc affectu *eminenter nocent*, ut jam *antea* quadantenus monitum fuit: negligens *diaphoreseos* necessariæ & congruæ promotio, affectui huic valde *præjudiciosa* est, tanto magis, si *purpuratus* morbus *complicatus* est, omne *regimen* sensibile *frigidum*, aut valde *æstuosum*, aut *inordinatum* in *quolibet* statu huic affectui *nocivum* existit: *Oleosa* destillata, quæ alias *pectoralia* dicuntur in hoc morbo *minus* simplicius oblata conducunt, quoniam *teneras* infantum partes *valde* afficiunt & *humores* in hac *ætate* alioquin facile *mobiles*, si nondum suspectam *spissitudinem* subierunt, nimium commovent & impellunt: *narcotica* & alia *efficaciora* sedativa in hac ætate *haud secure* ordinantur. quoniam firmiores & *contumaciores* alvi *obstructiones* causantur, reliquas necessarias & salutares *excretiones* magis *pervertunt* & *catarrhum suffocativum* provocant: remedia quæ *fauces* valde *irritant*, in hoc affectu rectius *omittantur*, quoniam facile *tussim* excitant & exasperant: multæ etiam *ventriculi* oppletiones nocent, quæ perinde *tussim* provocant; siquidem alias infan-

infantes, quando paulo *plus* bibunt, aut *frigidulum* potum ingerunt, *brevi* post, tussim hanc fortius irruentem experiuntur, quoniam in hac tussi *ventriculus*, *diaphragma*, *pulmones* & *totum pectus* valde *consentiunt* & se invicem facile ad *consentientes* & mutuos motus excitant: *errhina* & *ptarmica* præcipue communia, aut fortia, remedia *non tuta* in hoc affectu sunt, quoniam caput *inique* commovent, *nervosas* partes magis debilitant & *congestiones* ad *superiores* regiones corporis magis impellunt: multa, *frequens* & *copiosa* remediorum *oblatio*, aut *mutatio* huic *ætati*, huic etiam *morbo infensa* est; quicquid *purpuram impetuose* expellit, inimicum est: quam ob rem totus hic affectus *leniter*, tamen *convenienter* & circumspecte tractari debet.

§. XI.

Quoad *positivam* præsentis affectus tractationem *practicam*, iterum *discrepantia* illa observanda est, in quantum videlicet hæc tussis *simplex* & *complicata* existit: *Simplex* hæc tussis hac *methodo* tractanda erit: *præmittenda* videlicet est, quamvis *alvus* etiam *aperta* fuerit, una alterave moderata *laxatio*, cum Manna in decocto *avenæ* dilutiori *fœniculato* soluta, aut in infantibus *minus* plethoricis, neque de *valde calido* temperamento participantibus, cum *pilulis Stahlianis*, vel in subjectis de *multa pituitosa* colluvie præditis cum *resina Jalapp.* ppt. & *mercur. dulc.* exiguis granis, cum *aniso stellato* mixta, perficienda; quodsi vero *suspecta* alvi *adstrictio* præsto fuerit, tunc prius per *clysteres* lenientes & mitius roborantes *spastica* illa strictura & *exsiccatio* intestinorum est emendanda; deinde post aliquot dies *laxatio* prædicta *subordinanda*; Si suspecta saburra in *ventriculo* hæret, quæ *leni* laxatione evacuari *haud* potest, interim valde *præjudiciosa* est & præsentem affectum *sustentat*, tunc illa cum *oxymelite squillitico* in decocto avenæ per *lenem vomitionem* educi debet; Deinde vero conducunt remedia præsentem *congestorium* motum *temperantia*, *discutientia* & revellentia. Ex temperantium classe sunt pulveres ex lap. 69. citrat. matr. perl. ppt. Corall. rubr. ppt. antimon. diaphor. nitr. purif. specific. cephal. aut loco hujus e cinnabari addita, parati. *Discutientia interna* sunt mitiora *diaphoretica* subjectorum ægrotantium *diversis* qualitatibus accommodanda; huc spectant *potiones* ex Aquis destillatis veronic. anisi, asthmatica, scord. c. b.

betonic. Scorzon. ſcabioſ. chærefol. ceraſ. nigr. flor. Sambuc. ut & ex lap. 69. citr. ſyr. roſ. ſolutiv. enulæ, hyſſop. & ſpirit. nitr. dnlc. conficiendæ: in aliis infantibus conducit *mixtura* ex Eſſ. helen. vincet. aniſ. ſtellat. pimpin. alb. ſuccin. & ſpirit. nitr. dulc. parata: plurimis in hoc affectu convenit *infuſum Theiforme* ex rad. Scorzon. Liquirit. Sarſapar. Gramin. herb. Scord. tuſſilag. hepat. nob. veronic. capill. vener. hyſop. flor. chamomill. offic. ſambuc. ſcabioſ. helenii: Croc. orient. Semin. aniſ. fœnic. bacc. laur. junip. L. Santal. citr. Paſſul. maj. Caric. pingu. quod infuſum interdum cum *lacte caprino* aliquando cum *aqua Selterana* uſurpari poteſt: *Extrinſecus* pectori applicetur *ſacculus* ſiccus *diſcutiens*, ex rad. valerian. angelic. ir. flor. caryophyllat. vincetox. herb. ſalv. matricar. ſerpill. meliſſ. betonic. rorismar. flor. chamom. vulg. aneth. ſambuc. croc. orient. ſemin. anis. fœnic. &c. In infantibus *pituitoſis* exhibeatur pulvis ex lap. 69. citr. corall. rubr. ppt. deinde ex dimidio grano flor. ſulph. & exigua portione extracti croci: hanc diſcuſſionem adjuvat *regimen* moderatum *diaphoreticum*, nec non uſus *decocti avenæ* dilutioris cum herba ſalviæ & ſemine fœniculi mixti: *revulſionem* ſubminiſtrant in aptis infantibus *pediluvia*, leniora *rubefacientia* & inter hæc cepæ aſſatæ pedum plantis applicandæ; quando hæc tuſſis paululum *remittit*, tunc ordinanda ſunt auxilia *pulmones* paulo *magis roborantia*, velut. Eſſ. aniſi ſtellati, ſuccini, Maſtichis, pimp. alb. Valerian. Croci, Spirit. Sal. ammoniac. & nitri dulc. ſub reliqua *tota cura* ſemper *interponantur* mitiora talia *roborantia*, ne nimium *relaxentur* pulmones: huc etiam conducit miſcela ex Eſſentia dulci, Succin. balſam. peruv. maſtich. & ſpirit. nitr. dulc. *Vertici* etiam applicetur *ſacculus nervinus* & *diſcutiens* ex rad. angelic. valerianæ, caryophyllat. ir. flor. herb. matric. ſerpill. betonic. rorismar. major. menth. flor. chamom. utriusque, croc. orient. Camphor. anis. ſtellat. Storac. calam. N. M. &c. Quando in hoc *ſimpliciori* affectu tuſſiculoſo *febrilis* motus concurrit, tunc compoſitiones *Eſſentificatæ* omittantur & potius pulveres *temperantes*, diaphoretici *fixi*, nitroſi, ut & prædictæ potiones *reſolventes* & mitius *pectorales* ordinentur: cum ante commendatis vero *Eſſentiis* in *omni*

reliquo

reliquo ſtatu hujus tuſſis *circumſpecte* procedendum eſt, ne *ſiniſtros* tales effectus provocent, quos *calidiora* remedia excitare ſolent.

§. XII.

Quando vero hæc tuſſis cum *purpura* complicatur, tunc *omiſſis* Eſſentificatis & ſpirituoſis remediis potius ordinentur *blanda diaphoretica*, velut prædicti *pulveres* ex lap. 69. citr. M. P. ppt. corall. rubr. ppt. & exiguo nitri depur. nec non *potiones* ex temperatis aquis diapnoicis, additis etiam aliis *analepticis*, velut ceraſ. nigr. cinnam. ſimpl. naphæ, huc porro pertinent *emulſiones* ex aqu. deſtill. Scorzoner. Scabioſ. veronic. c. b. plantag. chærefol. e tenell. C. C. ceraſ. nigr. lil. convall. amygd. dulc. pineis & Sem. C.M. addito tantillo Eſſentiæ dulcis & ſacchari: hæc Eſſentia dulc. in debilibus infantibus egregiam vim *confortantem* exſerit: præter hæc conducit *dilutius* decoctum *avenæ* cum ſemine fœniculi, quod miaſma *purpuratum* admodum corrigit, materiam e pulmonibus ejiciendam in ſua *acri* qualitate temperat & ſpiſſam conſiſtentiam ejus elubricat, proinde alvi *emollitionem* promovet: porro in hoc affectu loco potus cereviſiarii aut vinoſi concedatur *modicus* potus herbæ *Thee* (non vero decocti Coffee) aut decoctum ex radice Scorzoneræ, C. C. raſpat. & ſem. fœniculi paratum: alvus in hoc caſu adſtricta non irritetur, ſed hiſce *lenientibus* adjuvetur: in *acutioris* febris nimio *æſtu*, continuentur pulveres ſæpe citati *temperantes* parcius *nitroſi*, omiſſis antimonio diaphoretico & cinnabari: cum hiſce remediis conjungatur *moderatum* regimen *efflorescentiam* purpuratam *adjuvans* & *conſervans*, nec non reliquas *neceſſarias* lenes *diapnoicas* excretiones promovens: *emulſiva* nocturnis horis *dilutiora* adhibeantur; cavendo ne *nimis dulcificata* ſint, ne *perverſas* commotiones in *inteſtinis* flatulentas aut colicas excitent, neve plane ſuſpectam *diarrhœam* provocent: *extra* æſtus *acerbitatem* prædicta eſſentia dulcis aut ſub *emulſionibus*, aut cum *pulveribus* aliquando & aliquoties exhibeatur quo vires *erigantur*, & ſubjugando ac *ſuperando* hoc *arduo* morbo ſatisfaciant & ſufficiant: Et hæc methodus continuetur per totum *purpuræ* decurſum, donec puſtulæ, quæ effloruerunt, *exſiccatæ* & ſuis ſquamulis *ſeparatæ* ſunt: poſtea aliquamdiu temperata *diaphoretica* continuentur, quo *reliquiæ* impuritatis *purpuratæ* ſufficienter excernantur: porro ſubordinentur uſus *infuſi Theiformis*, nec non remedia

media pectus & pulmones *roborantia* in prædictis nominata & commendata, una cum aptis discutientibus, *affluxum* humorum a pectore avertentibus & temperantibus remediis: & ne in *pulmonibus* suspectus *infarctus* remaneat, cum infuso calido aut *lac caprillum*, (quod simul nutrientem & novam laudabilem lymphan reparantem virtutem habet) aut *aqua Selterana* propinetur: præstat etiam quo *superato* hoc gravi morbo una aut altera lenis *laxatio* cum *Manna* suscipiatur, hacque ratione *primæ regiones* repurgentur, ne *lenta* aut *anomala* febricula superveniat, & huc usque afflictos infantes ulterius detineat & enervet: quando etiam quidam infantes hac tussi *simpliciter* laborarunt, tunc circa *finem* illius similis *laxatio* ordinanda, & *infusum calidum*, *pectorale*, sæpius commendatum, adhibendum, aut *mixtura* pectoralis *roborans*, antea laudata, usurpanda est: Et quoniam in hoc morbo *ventriculus* multum compatitur, ita sub cura *leniora stomachica* commiscenda & *exeunte* illa *modice* continuanda sunt, imo subinde *cautela* servanda est, ne revertente appetitu nimis *multa*, aut *comparate* largiori copia victus, *debilis* ventriculus *oneretur*, neve exinde *nova* molestia & afflictio excitetur; Sub *Diæta* sollicite vitanda sunt *acida*, crassa, tenacia & in genere *concoctu difficilia* alimenta, sed potius *liquida* gelatinosa alimentosa & *tenuem* lympham præbentia, insuperque *ordinarias* excretiones *sublevantia* & adjuvantia; in fine curæ ordinentur etiam diætetica roborantia, & inter hæc *vinum generosum*, parca tamen quantitate; potus *porro temperatus*, *sufficiens* concedatur, ut denuo corpus necessaria *humiditate* instruatur indeque *excretiones* facilitentur: aëris *temperata* constitutio eligatur & adhibeatur, ne *periculosa recidiva* ingruat: Tali methodo *utriusque* conditionis tussis infantum *Epidemica* secure & divina gratia præcipue cooperante bene & funditus aliquoties curata fuit. Sed acquiescimus nunc in præsenti tractatione: DEO humillimas agimus gratias, quod in hoc labore divino suo adjutorio nobis adsistere voluerit, quem devotissimis etiam precibus flagitamus, ut sua benedictione nostros conatus perpetuo comitetur, quo iisdem semper exoptatus immineat

F I N I S.